



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Continens Ordinem perpetuum & generalem recitandi divini Officii,
Gavanti Vitam & Indicem Authorum, quibus Author Observat. &
Additionum novarum usus est

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindelicorum, 1740

VD18 10783695-002

Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39795

AD LECTOREM.

Fuita fuere olim summo cum studio Calendaria perpetua prorecitandis Horis Canonicis ad usum quarundam Congregationum Regularium, imo & ad usum totius Orbis Ecclesiarum, quæ, ut ait Gavantus, jam suis temporibus inutilia reddita erant ob recognitionem Breviarii Romani factam à Clemente VIII. Hodie verò, propter innumera fere Decreta à Sac. Rituum Congregatione emanata post Gavanti Ævum illa Calendaria multò magis inutilia omnino redduntur. Quapropter in Gratiam, & Commodum Ecclesiasticorum, qui, quanvis periti in Sacris Ritibus, Brevitate tamen gaudent; & præsertim eorum, qui ab Episcopis deputantur ad dirigenda quotannis Calendaria suarum Diocesum pro faciliiori instructione sui Cleri, non solum in recitandis Horis Canonicis, sed etiam in Divini Sacrificii Celebratione, sequentes Tabulæ diligentissimè elaboratæ à nobis hic exhibentur; ad normam quidem illarum, quas Gavantus multò tamen breviores ediderat usque ab anno 1625. scilicet antequam suum Theaurum Sacrorum Rituum conficeret, & evulgaret. De his suis Tabulis ipsemet postea Mentionem fecit in tom. 2. sui Theauri scilicet. 2. c. 5. de Calendario, ubi ait: *composuimus Ordinem Officii Divini perpetuum, & quam brevissimum, dante Deo, dabimus pleniorum, & emendatiorem.* Hunc tamen Ordinem, quem prolixiorum promiserat præstantissimus Author, multis curis, & laboribus distentus, ut diximus in nostris Observationibus, nunquam edidit. Nos verò, ejus Desiderio satisfacere cupientes, & qui ejusdem Theaurum locupletiorum in omnibus suis partibus edere studuimus, etiam hunc Ordinem perpetuum Divini Officii pleniorum, & emendatiorem, cura præsertim, ac studio Dominici Luchini, de quo alibi mentionem fecimus, in lucem emittimus: quo quidem Ordine, veluti certa, brevi, ac legitima methodo, perpetuò quisque Ecclesiasticus poterit recitare quotidie Horas Canonicas, & qui Sacerdotio insigniti sunt, Missam celebrare. Ut autem melius Tabularum sequentium usus intelligatur, apponere lubet hic nonnullas Prænotationes, & Regulas ad sequentium Tabularum Intelligentiam maximè conducentes. Sit igitur

NOTANDUM I.

Initio cujuslibet Anni quaerenda est Tabula propria dati Anni ex triginta sex, quæ in hoc opere continentur; numerus enim Tabulæ invenietur cum sequenti Tabula Paschali perpetua, vel per Tabellam Temporariam provenientem à dicta perpetua, ut infra videbitur.

NOTANDUM II.

Sicut Annus Bissextilis habet duas literas Dominicales, ita pro tali Anno duæ Tabellæ sunt adhibendæ, una antecedens, altera subsequens, quæ

quæ pro Januario, & Februario tantum serviet: antecedens verò à principio Martii usque ad finem Anni adhibebitur; Et idcirco in fine mensis Februarii omnium Tabularum replicati sunt dies, scilicet à die 23. usque ad 28. cum hoc signo * pro Annis non Bissextilibus: At pro Annis Bissextilibus cum sequenti signo ¶; relictis enim antecedentibus diebus cum * signatis, observandi sunt dies à 23. usque ad 29. Postea, relicta tali Tabula, incipitur antecedens Tabula, incipiendo ab initio Martii, & serviet usque ad finem Anni, sicut docet sequens Tabula Temporaria. Ex. gr. è regione Anni 1740. in columna Tabellæ Temporariæ reperiuntur numeri 28. & 27. qui significant in dicto Anno 1740. adhibendam esse Tabulam 28. pro Januario, & Februario; alteram verò Tabulam 27. antecedentem à principio Martii usque ad finem Anni 1740. & ita etiam notatur in omnibus Tabulis in fine Februarii, excepta Tabula I.

NOTANDUM III.

IN omnibus sequentibus Tabulis non solum descripsimus ea, quæ in Calendario, & in Breviario ipso incertam habent sedem, nimirum Dominicas, Officium Beatæ Mariæ in Sabbato, Festa Mobilia, Translationes Festorum, Ferias Quatuor Temporum &c. Sed etiam omnia Festa immobilia, & quæ certam habent sedem, nimirum Natalitia Sanctorum &c. quæ continentur in Calendario collocato ante prædictas 36. Tab.

NOTANDUM IV.

RURsus in sequentibus 36. Tabulis, Brevitatis Gratia, id quod in Breviario, & in Missali clarè notatur, nos prætermisimus, v.g. lectiones primi nocturni de Scriptura hebdomadæ currentis &c. at quando occurrit aliqua mutatio lectionum, tunc notatur, quid sit recitandum; idèssæpe apponuntur hæc verba, *ut in prop. sive, ut in prop. loc. vel particula &c.* ut indicent, observanda esse cætera, quæ in textu Breviarii, & Missalis per extensum habentur: sicut etiam de *Gloria* in Missa, in qua semper dicitur, quando in Officio recitatum est *Te Deum*.

In omnibus Tabulis reperies verba detruncata, quorum aliqua sunt intellectu facilia; alia verò non ita clara, & horum Catalogum hîc subjicimus cum suis explicationibus.

Explicatio Verborum, quæ in Tabulis abbreviata leguntur.

Ap.
Br. vel Brev.
c. al.
c. n. vel c. nig.
c. rub.
c. vir.
c. viol.
commun. vel de com.

Apostoli, vel Apostolorum
Breviario
color albus
color niger
color rubeus
color viridis
color violaceus
communi, vel de communi

VI

Cr.
Ep.
fel. vel fest.
Gl.
L.
I.
II.
M. vel Mar.
Mm.
Offic. ordin.
(O D)
P.
pr. vel r.
S. M. vel S. V.
SS. Mm.
S. P.
seq. vel sequ.
V. vel Virg.
V. & M.
ut in prop. loc.

un. M.
ut ibi,
ut in pr. tribus Tab. hoc est

¶ Hæc nota significat, sequentes dies Februarii pertinere ad Annum non Bissextilem.

† Hæc parva Crux indicat, sequentes dies bis esse notatos, & ibi occurrere mutationem Officii usque ad signum ¶

¶ Hoc signum indicat observationem aliquorum dierum in Annis Bissextilibus, vel differentis Officii pro particulari Provincia.

NOTANDUM V.

Septem priores Tabulæ à nobis describuntur omnino extensæ, utpote comprehendentes expressè omnia ea, quæ requiruntur pro directione Divini Officii, & Missæ celebrandæ in qualibet die; In sequentibus verò Tabulis, nempe ab VIII. usque ad XXXVI. contractiores fuimus, ne ratio essemus Lectori, eadem repetendo, quæ in prædictis septem primis Tabulis sufficienter, & abundè jam descripta sunt. Ob eandem rationem præmittimus in iisdem Tabulis, nempe ab VIII. Officia particularia Status Ecclesiastici, &c.

NOTANDUM VI.

Quando in Calendario, & in Tabulis notatur solum Duplex, significat Duplex minus; In aliis autem Duplicibus altioris Ritus notatur eorum

Credo
Episcopi
festo, vel festi.
Gloria.
Laudes, vel Laudibus
lectio
lectiones
Martyris
Martyrum
Officium ordinatur
Officium Defunctorum
Papæ
primi
Sancti Martyris, vel S. Virginis
Sanctorum Martyrum
Sancti Papæ, vel Sancti Pontificis
sequentis, vel sequentium
Virginis
Virginis, & Martyris
ut in proprio loco in Breviario, &
Missali
unius Martyris
ut in Breviario, & Missali
ut in I. II. vel III. Tab. in cod. Festo

eorum Qualitas, scilicet Duplex 1. Classis, 2. Classis, & Duplex maj. Item in Duplicibus 2. Classis, quando occurrit fieri Commemoratio alicujus Sancti Simplicis in Laudibus, tunc in Missis privatis fiet etiam Commemoratio, quæ in Missa sollempni, vel quæ habetur tamquam sollempnis, emittitur.

NOTANDUM VII.

Reperiuntur in Tabulis aliquando hæc Verba *Dom. vacat*, quæ significant, quod licet dies sit Dominica, nihil tamen de ea fit in Officio, nec Commemoratio. Hoc verò accidit tantum à Nativitate Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, & eo die fit Officium, prout notatur in ipsis Tabulis.

NOTANDUM VIII.

Qui Calendaria quotannis describunt ad usum Particularium Ecclesiarum, idem cum nobis notare debent, additis propriis Sanctis locorum, nempe Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis, Patronis Principalibus, & minus Principalibus &c. inhærendo semper Rubricis generalibus, & Decretis à S. R. C. emanatis; addere etiam debent Officia illa Sanctorum, quæ post hanc nostram editionem à Summis Pontificibus, vel à S. R. C. forsan præscribentur, recitari debere; vel jam præscripta ad altiorem Riturum elevabuntur. Quia in Statu Ecclesiastico, Veneto, & alibi recitatur aliquando Officium particulare, (quod non est concessum in toto Orbe) ex speciali indulto S. R. C. ideo ad distinctionem Officii universalis Ecclesiæ à particulari adnotantur dies pro universali Ecclesia cum signo †, & pro particularibus cum hoc signo ¶, in quibus (relictis diebus hoc signo † notatis) recitetur Officium, prout describitur à die notæ ¶ cum reliquis diebus Mensis linea inclusis, & cum commatibus in latere marginis notatis.

Dedicatio Basilicæ S. Salvatoris Romæ, & in ejus Districtu celebratur Duplex 1. Classis cum sua Octava à Clero Sæculari, à Regularibus verò Dupl. 2. Classis sine Octava. Iste Districtus Almæ Urbis comprehendit spatium quadraginta miliarium extra, & circa Urbem. Ita etiam Officium S. Alexii sub Ritu Duplici cum suis novis Lectionibus, & Orationibus propriæ Missæ: At Officia S. Margaritæ de Cortona semid. 23. Februarii, & S. Mariæ Magdalenz de Pazzis Duplex 27. Maji, ac S. Aloysii Gonzagæ Duplex 21. Junii, sunt extensa per totam Italiam & Insulas adjacentes.

NOTANDUM IX.

Septem primæ Tabulæ sunt similes reliquis viginti octo, quamvis in qualitate Dominicarum discrepent; nam Tabulæ 1. 8. 15. 22. 29. Item 2. 9. 16. 23. 30. Item 3. 10. 17. 24. 31. Item 4. 11. 18. 25. 32. Item 5. 12. 19. 26. 33. Item 6. 13. 20. 27. 34. Denique 7. 14. 21. 28. 35. sunt similes, quia eadem die Mensis, in qua est Dominica in I. Tabula, est quoque

quoque in 8. & 15. &c. Et ita in aliis Tabulis, nam in similibus Annis cadit eadem Litera Dominicalis; sed Dominicæ differunt in qualitate, & numero, v. g. in Tabula I. 25. Januarii est Dominica Sexagesimæ, at in Tabula VIII. 25. Januarii est quidem Dominica, sed Septuagesimæ, & in Tabula XV. currit Dominica tertia post Epiphaniam: Ideò septem primæ Tabulæ abundè sunt extensæ, cæteræ verò, incipiendo ab VIII. breviori methodo sunt exaratæ, ut diximus, unde quod videtur in istis 28. Tabulis deficere, invenitur in septem primis Tabulis eandem Literam Dominicalem habentibus, prout notatur in principio Januarii, ac passim in corpore earum, & præcipuè circa finem Novembris, quando appropinquat Dominica ultima post Pentecosten, & non occurrit aliqua mutatio Officii; ideò, brevitatæ gratia, detruncatur Tabula, & tunc resumitur una ex septem primis Tabulis, ut ibi notatur. Cum hac præcipua observatione non solum circa Lectiones Sacræ Scripturæ, sed etiam in nona Lectione Homiliæ, & Commemoratione Feriæ, ut recitentur illæ occurrentes in propria Hebdomada uniuscujusque Tabulæ. Ex. gr. in Tabula XV. 30. Januarii ita notatur. *Fer. 6. S. Martina V. & M. semid. ut in Tabula I.* Hoc Festum in Tab. XV. cadit in Hebdomada Dom. 3. post Epiphaniam; igitur Lectiones Sac. Scripturæ, quando currit Tab. XV. non accipiendæ sunt ex Hebdomada Sexagesimæ; quamvis citetur Tab. I. sed accipiantur de Hebdomada Dominicæ 3. post Epiphaniam currente in Tab. XV. Et ita observetur pro cæteris Tabulis, ne fiat error in Lectionibus 1. Nocturni, ac in Antiphonis, & Orationibus Dominicarum propriis.

Quando verò datæ Anni Litera Dominicalis, & Epacta sunt eadem ac Litera Dominicalis, & Epacta unius ex 36. Tabulis, hæc Tabula sumenda est per extensum sine ulla mutatione, quia concordat in omnibus, & per omnia tam quoad qualitatem Dominicarum, aliorumque Festorum Mobilium, quàm etiam quoad Lectiones Sacræ Scripturæ secundum dispositionem cujuslibet Hebdomadæ, ut in proprio de tempore.

NOTANDUM X.

IN omnibus Annis, in quibus hæc Literæ Dominicales G vel A occurrunt, numquam accidit, transferri debere ullam Dominicam Epiphaniæ infra Hebdomadam; At quando occurrunt reliquæ Literæ Dominicales, scilicet B. C. D. E. F. semper una ex Dominicis post Epiphaniam infra Hebdomadam est anticipanda, vel facienda Commemoratio. Quando verò omnes sex Dominicæ post Epiphaniam habent suum locum, tunc anticipatur Dominica XXIII. post Pentecosten, ut docet Rubrica.

NOTANDUM XI.

QUando in aliquibus Festis Sanctorum ultima illorum Lectio Homiliæ est omittenda, ut detur locus nonæ Lectioni Homiliæ, vel Sancti simplicis; Si illa ultima Lectio, quæ est omittenda, sit continuatio

tio historię, vel in illa fiat mentio laudis illius Sancti, de quo fit Officium, tunc illa Lectio nona non omittitur, sed legitur conjunctim cum octava Lectione, & postea recitatur nona Lectio Homilię, vel Sancti Simplicis: sed Rubrica hoc strictè non obligat, tamen Gavantus *sect. 5. cap. 12. num. 18.* & Guyet. *lib. 4. quęst. 2.* asserunt, optime fieri, si id observaretur.

NOTANDUM XII.

IN Vigiliis occurrentibus in Adventu, si occurrat Festum Duplex, vel Semi-dupl. fit Commemoratio Ferię Adventus (de Vigilia nihil in Officio) at in Missa post Commemorationem Ferię Adventus fit Commemoratio Vigilię, & ejus Evangelium legitur in fine, ut notatur in *tom. 1. par. 1. tit. 3. num. VI.*

NOTANDUM XIII.

IN Festis Sanctorum Confessorum Pontificum, & non Pontificum, Brevitatis gratia, nihil innuimus in sequentibus Tabulis, an in Hymno *Iste Confessor* fieri debeat mutatio Versiculi *meruit beatas* in *meruit supremos &c.* & idcirco hic subnectimus Catalogum omnium Sanctorum Confessorum, in quorum Festis fit mutatio dicti Versiculi; advertendo, quod si Festum obitus Sancti alicujus Confessoris transferatur in proximè sequentem diem ab ejus obitu (ut est Festum S. Francisci Xaverii) & in primis Vesperis de eo celebretur totum Vesp. vel de eo fiat à Capitulo in primis Vesperis, tunc tam in eisdem, quam in Matutino, & in 2. Vesperis, non mutatur Versus, uti diximus in *tom. 2. p. 1. sect. 8. cap. 3. num. II.* allegando Decretum 13. Januar. 1682. & in nostro Indice sub *num. 128.* Si verò in 1. Vesperis de Sancto illo Confessore sola facta fuerit Commemoratio, ut in Festo S. Hyacinthi, tunc in ejus Officio dicitur Versus *meruit supremos.*

JANUARIUS.

- 14 Hilarii Ep. Conf.
- 15 Pauli primi Eremitę Conf.
- 23 Raymundi de Pennafort Conf.
- 27 Joannis Chrysostomi Pont. Conf.
- 29 Francisci Salesii Ep. Conf.
- 31 Petri Nolasco Conf.

FEBRUARIUS.

- 4 Andreę Corsini Ep. Conf.
- 7 Romualdi Abb. Conf.
- 8 Joannis de Matha Conf.

MARTIUS.

- 5 Pii V. Papę Conf.
- 10 Antonini Ep. Conf.

JUNIUS.

- 14 Basilii Magni Ep. Conf.

JULIUS.

- 15 Henrici I. Imperat. Conf.
- 19 Vincentii à Paulo Conf.

AUGUSTUS.

- 4 Dominici Conf.
- 16 Hyacinthi Conf.
- 31 Raymundi Nonnati Conf.

SEPTEMBER.

- 2 Stephani Regis Conf.
- 5 Laurentii Justiniani Ep. Conf.
- 18 Thomę de Villanova Ep. Conf.

OCTOBER.

- 1 Remigii Ep. Conf.
10 Francisci Borgiæ Conf.
19 Petri de Alcantara Conf.

NOVEMBER.

- 20 Felicis de Valois Conf.

DECEMBER.

- 4 Petri Chryfologi Ep. Conf.
7 Ambrosii Ep. Conf.

Similiter in Officio B. Mariæ V. in quolibet ejus Feflo, & Octava in fine Hymnorum ejusdem metri dicitur *Jefu tibi fit gloria &c.* ac etiam in Vesperis Feriæ sextæ, quamvis de B. Maria facta fit tantum Commemoratio, & ad Primam in *q.* Brevi -- *Qui natus &c.* Excipe tamen Officium, feu Feflum Expectationis Partus B. M. V. in quo Hymni terminandi funt, ut terminantur alii de tempore; videlicet -- *Virtus, honor, laus, gloria &c.* & ad Primam *Qui venturus &c.*

NOTANDUM XIV.

Officium parvum B. Mariæ V. recitatur in Choro quotiescumque fit Officium feriale, vel de Simplici, excepta Vigilia Nativitatis Domini, Feriis Majoris Hebdomadæ, & Sabbato, quando fit Officium de Sancta Maria; vel sæpius recitatur, prout viget laudabilis Confuetudo nonnullarum Ecclefiarum. Ordo recitandi dictum Officium eft, ut Matutinum cum Laudibus B. Mariæ recitetur ante Matutinum Officii diei, dicto prius *Pater noster, Ave Maria, & Credo*; recitatur idem Matutinum cum Laudibus B. Mariæ ufque ad *Benedicamus Domino* inclusive, quo dicto, absolute inchoatur Officium diei currentis. Hora Prima B. Mariæ recitatur ante Martyrologium, ut in Breviario: Reliquæ Horæ B. Mariæ dicuntur post *Benedicamus Domino* aliarum Horarum Officii currentis. Vesperæ verò B. Mariæ, dicto prius *Pater noster, & Ave Maria*, præponuntur Vesperis diei, ut dictum eft in Matutino. Completorium tamen poftponitur; ita ut dicto *Benedicamus Domino*, inchoetur *Converte nos Deus &c.* & concludatur de more cum Antiphona finali B. Mariæ juxta temporum varietatem. Hoc Officium parvum B. M. V. varium eft juxta temporum diverfitatem, ut notatur in Breviariis, & Diurnis. Tempore Pafchali dicitur ficut ante Adventum, fed ad *Benedictus*, ad *Magnificat*, & ad *Nunc dimittis* dicitur Antiphona *Regina Cæli &c.* Antiphonis autem, Verſibus, Invitatorio, & Refponſoriis non additur in fine *Alleluja*. Tempore verò Paſſionis nulla fit detractio, fed dicitur *Gloria Patri* in Invitatorio, & Refponſorio tertio, ut in Feſtis Sanctorum. Si transfertur Feſtum Purificationis, non eft ideo transferenda mutatio Officii parvi B. Mariæ, quod folet dici poſt Feſtum Purificationis ufque ad Adventum, ficut dictum eft in noſtris Obſervationibus in ſect. 9. cap. 1. num. IV.

NOTANDUM XV.

Officium Defunctorum recitatur in Choro qualibet secunda Feria Adventus, & Quadragesimæ, quando Officium fit de Feria. Extra tempus Paschale dicitur prima die cuiuscumque Mensis non impedita ab Officio novem Lectionum (quamvis translato) etiamsi fiat de Festo simplici; ideo sparsim in Tabulis apparet hæc nota (OD). Quando idem Officium est recitandum, in Vesperis, licet Duplicibus, vel de Dominica præcedentis diei post *Benedicamus Domino*, intonatur Antiphona *Placebo Domino*, & dicuntur Vesperæ Defunctorum. Matutinum verò, id est, unus nocturnus secundum ordinem Feriarum cum Laudibus dicitur post Laudes Officii diei, nisi sit alia consuetudo Ecclesiarum. Extra tempus Paschale in Missa de Feria, vel de Simplici, quæ correspondet Officio illius diei, fit Commemoratio Defunctorum cum Oratione *Fidelium* penultimo loco ponenda. In Feriis quoque secundis (extra Quadragesimam, & extra tempus Paschale) & quando non est Duplex, vel Semiduplex in Missa, quæ correspondet Officio diei, fit semper Commemoratio Defunctorum, ut supra. Cætera spectantia ad Missam Defunctorum vide in tom. 1. par. 1. tit. 5.

NOTANDUM XVI.

Psalmi Graduales dicuntur in Choro ante Matutinum B. Mariæ in Quadragesima Feria 4. tantum cuiuslibet Hebdomadæ non impedita Officio novem Lectionum. Inchoantur absolute *Ad Dominum &c.* Primi quinque Psalmi dicuntur sine *Gloria Patri &c.* sed in fine ultimi tantum dicitur *Requiem aeternam &c.* Alii verò cum *Gloria Patri* in fine cuiuslibet: Preces, & Orationes semper flexis genibus, postea dicitur *Pater noster, Ave Maria, Credo* pro inchoando Officio B. Mariæ.

NOTANDUM XVII.

Septem Psalmi Pœnitentiales cum Litiis, Precibus, & Orationibus, recitantur flexis genibus in Choro qualibet Feria 6. Quadragesimæ, (non impedita Officio novem Lectionum) post Laudes Officii diei, dicto *Benedicamus Domino*, intonata Antiphona *Ne reminiscaris &c.*

NOTANDUM XVIII.

In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ubi cantari debent plures Missæ in diversis Anni temporibus, scilicet in Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum; si Festum occurrat Duplex, vel Semiduplex, aut dies Octavæ alicujus Sancti, vel etiam dies infra Octavam SS. Corporis Christi, cantantur duæ Missæ, una de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam. In Vigilia verò Ascensionis, si occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex, dicuntur tres Missæ; de Festo post Tertiam, de Vigilia post Sextam, & de Rogationibus post Nonam; sed in Vigiliis, quæ occurrunt infra Octavam non privilegiatam, non dicuntur

duæ Missæ, sed tantum una Missa Conventualis, ac etiam omnes Missæ privatæ congruentius dicuntur de Vigilia cum Commemoratione Octavæ, ut diximus *part. 1. tom. 1. pag. 79. & seq.* non tamen exclusis Missis Votivis, & de Requiem.

Ita etiam prima die cujuscunque Mensis (Extra Adventum, Quadragesimam, & tempus Paschale) non impedita Officio Duplici, vel Semiduplici, si tamen occurrat Festum Simplex, vel FERIA habens propriam Missam, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, nec alia die desumi possit, tunc dicuntur duæ Missæ, de Defunctis post Primam, & de Festo Simplici, vel de FERIA prædicta post Sextam. In Commemoratione etiam Omnium Fidelium Defunctorum duæ dicuntur Missæ; de Octava Omnium Sanctorum post Tertiam, & de Defunctis post Nonam, servata semper lege uniuscujusque Missæ.

REGULA I.

Pro Usu Tabulæ Paschalis Perpetuæ.

UT inveniri possit Tabula Temporaria pro recitatione Divini Officii in quolibet anno dato, oportet primò Epactam currentis anni cognoscere (quæ reperitur infra cum Regula III.) ac etiam Literam Dominicalem ejusdem anni propositi, quæ facile scitur, ut infra cum Regula generali arithmetica IV. In hac igitur Tabula Paschali perpetua quæritur primò Epacta currens dati anni; deinde Litera Dominicalis anni propositi, quæ prima occurrit infra currentem Epactam, nam è directo ejusdem Literæ Dominicalis invenietur in ultima columna numerus Tabulæ pro anno dato. Sed advertendum, quod si aliqua Dominicalis Litera cujuscunque anni reperta fuerit è directo datæ Epactæ, tunc talis Litera relinquitur, & accipitur alia eadem Litera proximè inferior, ne Pascha cum Judæis celebremus; Et cum hac Tabula generali perpetua composita est altera sequens Tabella Temporaria.

Exemplum: Anno 1747. Epacta est XVIII. & Litera Dominicalis A. Quæritur igitur in Tabula Paschali Litera A. infra Epactam XVIII. (nam illa Litera, quæ est in eadem linea cum Epacta XVIII. non est apta) è directo enim A. inferiori invenietur in ultima columna numerus 12. & Tabula 12. deserviet toto Anno 1747. ut quærebatur.

In anno verò Bissextili, quia adhibentur duæ Literæ Dominicales; ideo accipiuntur duæ Tabulæ, cum quibus ordinatur Officium illius anni; nam Litera posterior in Ordine Alphabeti, sed prima in Bissextili, dabit in ultima columna numerum Tabulæ, quæ serviet in Mense Januarii, & Februarii tantum; Altera vero Litera anterior in Alphabeto, sed secunda in Bissextili, dabit numerum Tabulæ, quæ serviet ab initio Martii usque ad finem anni Bissextilis. Exemplum: Annus Bissextilis 1740. habet Epactam I. & duas Literas Dominicales C. B. Quæritur igitur infra Epactam I. Litera C. & dabit in ultima columna Tabulam 28. quæ adhibebitur in Januario,

rio, & Februario tantum usque ad diem 29. Deinde cum alia Litera B. obtinebitur Tabula 27. præcedens, quæ serviet ab initio Martii usque ad finem anni 1740. Advertendum tamen est, quod si una ex duabus Literis occurrerit è directo Epactæ currentis, tunc sumendæ sunt aliæ duæ similes Literæ proximè infra Epactam datam, ut dictum est: Et hoc modo inveniuntur etiam Festa Mobilia in hac Tabula antiqua reformata, ingeniose inventa, & est Mater aliarum Tabularum, in magna æstimatione habenda, in qua etiam Festa Mobilia inveniri possunt pro annis ante Calendarii emendationem, cum Aureis numeris in prima columna positis, eodem profus modo cum Epacta, ut dictum est supra, prout videri potest in principio Breviarii de Festis Mobilibus §. octavo. Ut in Exemplo supra dato anni 1747. invenitur Epacta XVIII. in column. Epactar. & Litera Dominicalis A. quæ prima inferior reperitur, nam è directo in eadem linea ad dexteram inveniuntur omnia Festa Mobilia, scilicet Septuages. cadit in 29. Januarii, Dies Cinerum 15. Febr. Pascha 2. Aprilis &c.

Item advertere est, quod Epacta viginti quinque bis notari solet, sed diverso caractere, una scilicet cum caractere antiquo, seu latino, tali modo XXV. Altera cum caractere arabo, seu arithmetico alio modo 25. Numerus antiquus XXV. in hac Tabula Paschali collocari debet è regione Epactæ XXIV. & literæ c. Numerus verò arithmeticus 25. poni debet in eadem linea Epactæ XXVI. & literæ b. Et hunc ordinem Typographi plerumque non observant; unde errores, & dissensiones oriuntur in eligenda die Paschæ, an cadat in die 18. vel 25. Aprilis, ut accidit anno 1734.

Quando igitur in aliquo anno cadit Epacta viginti quinque, & quænam ex duabus eligenda sit in hac Tabula dubitetur; tunc reflectendum prius est ad Aureos numeros: si enim illo anno cadit aureus numerus minor quam 12. tunc assumitur Epacta XXV. caractere latino: quando verò aureus numerus erit major quam 11. tunc sumitur Epacta 25. caractere arabo. Ita Clavius in Calendario Gregoriano pag. 21. & 23. cap. 10. num. 5. cap. 12. num. 6. Ac etiam notatur in Martyrologio Romano post Tabulam Equationis Cycli. Exemplum: Anno 1734. Epacta est viginti quinque, & aureus numerus 6. Igitur tam in sequenti Tabula perpetua, quam in Calendariis Breviarii, & Martyrologii accipienda est Epacta XXV. caractere latino, vel rubeo tinctæ colore.

Advertendum quoque est, quod Typographi in Breviariis, & Missilibus imprimere solent omnes Epactas cum caractere arabo, seu arithmetico coloris rubei, unam tantum coloris nigri: Omnes igitur Epactæ rubei coloris positæ sunt loco characteris antiqui, seu latini, illa sola 25. nigra pro caractere arabo. At quia indigebimus aliquando cognoscere Aureum numerum, Epactam, ac literam Dominicalem, & Literam Martyrologii annorum currentium, ideo post sequentem Tabulam Paschalem perpetuam dabimus Regulas arithmeticas faciles, breves, ac perpetuas pro illis inveniendis.

TABULA PERPETUA PASCHALIS

antiqua reformata.

Aur. Num.	Cyclus Epactarum.	Liter. Dom.	Septuagesim.	Dies Ciner.	Pascha.	Ascensio.	Pentecostes.	Corp. Christi	Dom. post Pent.	1. Domin. Advent.	Tab. Ord. & Num.
			Januar.	Febr.	Mart.	April.	May.	May.			
16	XXIII.										
5	XXII.	d	18	4	22	30	10	21	28	29. Nov.	1
13	XXI.	e	19	5	23	1. Maij	11	22	28	30	2
2	XX.	f	20	6	24	2	12	23	28	1. Dec.	3
10	XIX.	g	21	7	25	3	13	24	28	2	4
18	XVIII.	A	22	8	26	4	14	25	28	3	5
7	XVII.	b	23	9	27	5	15	26	27	27. Nov.	6
15	XVI.	c	24	10	28	6	16	27	27	28	7
4	XV.	d	25	11	29	7	17	28	27	29	8
12	XIV.	e	26	12	30	8	18	29	27	30	9
1	XIII.	f	27	13	31	9	19	30	27	1. Dec.	10
9	XII.	g	28	14	1. Apr.	10	20	31	27	2	11
17	XI.	A	29	15	2	11	21	1. Jun.	27	3	12
6	X.	b	30	16	3	12	22	2	26	27. Nov.	13
14	IX.	c	31	17	4	13	23	3	26	28	14
3	VIII.	d	1. Febr.	18	5	14	24	4	26	29	15
11	VII.	e	2	19	6	15	25	5	26	30	16
19	VI.	f	3	20	7	16	26	6	26	1. Dec.	17
8	V.	g	4	21	8	17	27	7	26	2	18
16	IV.	A	5	22	9	18	28	8	26	3	19
4	III.	b	6	23	10	19	29	9	25	27. Nov.	20
12	II.	c	7	24	11	20	30	10	25	28	21
1	I.	d	8	25	12	21	31	11	25	29	22
9	*	e	9	26	13	22	1. Jun.	12	25	30	23
17	XXIX.	f	10	27	14	23	2	13	25	1. Dec.	24
6	XXVIII.	g	11	28	15	24	3	14	25	2	25
14	XXVII.	A	12	1. Mar.	16	25	4	15	25	3	26
3	XXVI.	b	13	2	17	26	5	16	24	27. Nov.	27
11	XXV.	c	14	3	18	27	6	17	24	28	28
19	XXIV.	d	15	4	19	28	7	18	24	29	29
8		e	16	5	20	29	8	19	24	30	30
		f	17	6	21	30	9	20	24	1. Dec.	31
		g	18	7	22	31	10	21	24	2	32
		A	19	8	23	1. Jun.	11	22	24	3	33
		b	20	9	24	2	12	23	23	27. Nov.	34
		c	21	10	25	3	13	24	23	28	35
		D	22								36

REGULA II.

Pro inveniendo Aureo Numero.

Anno Domini dato additur unitas, summa dividitur per 19. (nulla verò habita ratione quotientis) numerus enim, qui ex divisione remanet, erit Aureus numerus propositi anni: At si nihil remanet, erit idem 19. Aureus numerus quæsitus.

Ut autem facilior reddatur divisio per num. 19. oportet prius multiplicare 19. per 2. per 3. 4. &c. dabit enim sequentes summas 19. 38. 57. 76. 95. 114. 133. 152. 171. 190. Nunc per subtractionem unius, vel alterius istorum numerorum proximè minorum fiet citius divisio, ut in Exemplo. Datus sit annus 1734. cui additur unitas, fit summa 1735. Proximus minor Num. unus ex prædictis subtrahendus sic collocatur - 171 -

Remanet ————— 0025
Denuo subtrahitur numerus minus ————— 19

Remanet pro anno 1734. Aureus Numerus ————— 6

Aliud Exemplum. Datus sit annus 1747. cui additur unus, fit summa 1748. quæ divisa per 19. nihil remanet (quia 92. multiplicatus per 19. producit justè 1748) Igitur idem divisor 19. erit Aureus numerus anni 1747.

Aureus numerus ita inventus est fundamentum inveniendi Cyclum Epactarum anni propositi, ut infra.

REGULA III.

Pro invenienda Epacta.

Aureus numerus inventus dati Anni multiplicatur per num. 11. & productum dividitur per 30. si erit majus 30. id, quod remanet ex deductione 30. erit Epacta vetus. Pro annis verò post correctionem factam anno 1582. ab Epacta veteri subtrahitur 10. usque ad annum 1699. inclusive. Ab anno verò 1700. usque ad annum 1899. inclusive subtrahitur 11. &c. Isti numeri subtractivi in singulis centesimis habentur in sequenti Tabella Equationis: si subtractio fieri nequit, addatur Epactæ veteri numerus 30. & fiat subtractio, quod verò remanet, erit Epacta anni propositi. Exemplum: Pro anno 1734 inventus est, ut supra Aureus numerus 6. qui multiplicatur per 11. producit 66. à quo abjiciatur bis 30. remanet pro Epacta veteri num. 6. à quo detrahenda est æquatio 11. debita centesimo 1700. at non potest fieri; igitur addatur prius 30. ut fiat 36. à quo nunc auferatur 11. & remanet numerus 25. pro Epacta anni 1734. Observetur *Notandum* pro Epacta XXV. ut supra diximus, ne fiat error in eligendo Epactam in Tabella, vel in Calendario supradicto.

RE-

REGULA IV.

Pro inveniendâ Litera Dominicali.

Numerus annorum Christi datus dividitur per quatuor, & quotiens additur eidem numero annorum Christi, & insuper numerus etiam quinque, si annus datus sit ab anno Christi nato usque ad Correctionem Gregorianam 1582. sed post hanc Correctionem usque ad annum 1699. è contrario aufertur à dicta summa numerus 5. Ab anno verò 1700. usque ad 1799. aufertur 6. &c. (ut notatur in sequenti Tabella Æquationis pro pluribus centesimis)

Residuum verò dividitur per septem, nullo habito respectu quotientis, consideratur tantum numerus, qui superest post divisionem, & hic numerus indicabit in sequenti ordine literarum, Literam Dominicalem anni propositi. Si verò post divisionem per septem nihil superest, tunc ipsemet 7. indicabit literam A. In Annis autem bissextilibus, quia adhibentur duæ literæ, ideò accipiendâ erit in dicto ordine literarum etiam altera litera antecedens inventæ, hæc autem litera antecedens indicabit diem Dominicam à Januario usque ad Festum S. Mathiæ, & ab hoc Festo usque ad finem anni serviet litera prima inventa cum prædicto computo.

Literarum Dominicalium G. F. E. D. C. B. A.

Ordo ——— 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Exemplum: Datus sit annus 1694. pro quo quærendâ sit litera Dominicalis; divi-

ditur annus per 4 ——— 1694

quotiens ——— 423 2

eorum summa ——— 2117

aufertur ——— 5

Hoc residuum dividitur per 7 ——— 2112

Non consideratur quotiens 301. 301 5
sed quod remanet, id est numerus 5. qui in ordine literarum indicat literam C. quæ erit litera Dominicalis dati anni 1694. secundi post bissexum, quia in suprascripta partitione anni per 4. remanet ultimo numerus 2.

Tabella Æquationis in singulis centesimis ad inveniendam Epactam, & Literam Dominicalem in quolibet anno dato.

Anni à Nativitate Christi	Æquatio	
	Pro Epacta	Pro Litera Domin.
Ante Cor- rectionem 1582	nihil	additur 5
Post Corre- ctionem 1582	subtra- hitur 10	subtra- hitur 5
Bi. 1600	10	5
1700	11	6
1800	11	7
1900	12	8
Bi. 2000	12	8
2100	12	9
2200	13	10
2300	14	11
Bi. 2400	13	11
2500	14	12
2600	15	13
2700	15	14
Bi. 2800	15	14
2900	16	15
3000	16	16
3100	17	17
Bi. 3200	17	17
3300	17	18
3400	18	19

Altud

Aliud Exemplum: Quæritur Litera Dominicalis anni 1732. qui divisus

per 4	1732	per 4. dat quotientem 433. & post divisionem nihil remanet; igitur hic annus erit bissextilis; fiat summa anni 1732. & quotientis 433. quæ erit 2165. à qua summa aufertur numerus 6. prædictæ Tabulæ Equationis, & remanet 2159. hoc residuum dividitur per 7. & quotiens non consideratur, sed quod superest post divisionem, hoc est numerus 3. qui in prædicto ordine literarum ostendit literam E esse Dominicalem dati anni 1732. At quia hic annus est bissextilis, ideo accipienda est etiam altera litera antecedens F. quæ indicabit diem Dominicam in Januario, & Februario usque ad Festum S. Mathiæ; Litera verò E prima inventa cum prædicto calculo serviet ab hoc Festo usque ad finem anni 1732. Ita clarè videtur in sequenti Tabella Temporaria; nam annus 1740. habet duas literas, scilicet CB. litera enim C indicabit diem Dominicam à principio Januarii usque ad Festum S. Mathiæ 25. Februarii: à die verò 26. Februarii usque ad finem anni 1740. serviet litera B. quia litera F bis est repetita in die 24. & 25. & tunc litera B cadere debet die 28. litera A die 27. & litera C die 29. Februarii.
quotiens	433	
summa	2165	
aufertur	6	
Dividitur per 7	2159	
quotiens	308	
remanet	3	

divisionem, hoc est numerus 3. qui in prædicto ordine literarum ostendit literam E esse Dominicalem dati anni 1732. At quia hic annus est bissextilis, ideo accipienda est etiam altera litera antecedens F. quæ indicabit diem Dominicam in Januario, & Februario usque ad Festum S. Mathiæ; Litera verò E prima inventa cum prædicto calculo serviet ab hoc Festo usque ad finem anni 1732. Ita clarè videtur in sequenti Tabella Temporaria; nam annus 1740. habet duas literas, scilicet CB. litera enim C indicabit diem Dominicam à principio Januarii usque ad Festum S. Mathiæ 25. Februarii: à die verò 26. Februarii usque ad finem anni 1740. serviet litera B. quia litera F bis est repetita in die 24. & 25. & tunc litera B cadere debet die 28. litera A die 27. & litera C die 29. Februarii.

REGULA V.

Pro inveniendâ Litera Martyrologii.

Litera Martyrologii facilè habetur cum numero Epactarum sequentis Tabellæ: Inventus enim Numerus Epactæ anni propositi (ut supra docetur) quæritur in sequenti Tabella; nam supra eundem numerum apparet litera Martyrologii anni currentis. Exemplum pro anno 1732. invenitur, Epactam esse 3. supra quem numerum sita est litera minuscula c. quæ erit Lit. Martyr. anni 1732. Item in anno 1734. Epacta est 25. rubra, igitur litera F majuscula rubra fuit Litera Martyrologii. quæ quotidie toto anno 1734. indicavit ætatem Lunæ. &c. Vide Regulam I. §. 2.

Tabella Literarum Martyrologii correspondentium Numeris Epactarum.

Lit. Martyr.	a b c d e f g h i k l m n p q r s
Epactæ.	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17
	t u A B C D E F F G H M N P
	18 19 20 21 22 23 24 25 25 26 27 28 29 "